



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

10 De pactis, quae in pignoribus apponi solent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

Et dotem non soluit, aut restituit, filiam, siue uxorem alere compelluntur. Quare si ei loco dous fundum oppignerat, habet illa ius fructus colligendi, & faciendi suos. Sed cerè hęc ratio id solum concludere videtur, uxorem posse fructus pignoris, sibi suerere, & acquirere iure naturali, & communi, nempe ratione damni, quod patitur, ac sustinet, & causa item eius, quod sua interest, nam si dous illi solueretur à patre, aut restitueretur ab herede, ex ea fructus perciperet, quibus se alere posset: ergo ratione lucri, quod tenura esset habitura, fructus pignoris facit suos. Quare meo iudicio, si inscriptum in cap. salubriter, consideremus, probabilior est prima sententia. Ac si ius naturale, & commune, hactenus secunda opinio locum habet ratione damni emergentis, vel lucri cessantis.

Quartum, de quo controversia est inter Canonici iuris Doctores, illud est, An æqua, & iusta sint statuta civitatis, popolorumque, quibus decemitur, ut heres mariti defuncti, donec dotem uxori viduę restituat, certam pensionem in singulos menses, vel annos illi soluat. Respondeo cum Abb. Angelo, Siluestro, Rosell. & aliis, æqua esse huiusmodi statuta, & rationi consentanea, ut docent Io. Bapt. Lupus de usuris, commen. 4. nu. 90. & 91. quia eam pensionem vxor accipit non ratione mutui, sed lucri cessantis, ut iam dixi, vel damni emergentis.

Secunda causa, ex qua fructus pignoris non computantur in fortem, est. Quando fundus, vel domus, vel alia res similis datur alieni ab Ecclesia nomine, & iure feudi, quam tunc deinde ipsa Ecclesia loco pignoris accipit ab eo, qui in feudum suscepit fundum: nunc fructus illius pignoris Ecclesia facit suos, donec ei integrum debitum solvatur. Approbatur hęc causa in cap. de feudis. Et c. Congruus, de usuris. Sed dubie questio est, quo iure Ecclesia sibi fructus pignoris acquirit, hoc nempe, num ex ipsa ne natura feudi proveniat, an verò aliunde? Glossa in cap. de feudis, dicit esse permissum gratia Ecclesię. Sed memò hęc sententia ab Ang. Silu. & Soto, & aliis cõfutat, quia Ecclesia usuras non permittit, cum naturali & diuino iure damnentur, ut habetur in cap. super eo, de usuris. Hoc igitur ius ex ipsius feudi natura, & substantia existit, & descendit, ut docet Hostien. & Panorm. in cap. de feudis. Ang. in verb. feudum n. 31. Silu. eod. verb. q. 29. Roellia vsur. n. 18. Gab. in 4. dist. q. 11. art. 3. conclus. 4. Casu 2. Maior eod. lib. & dist. q. 31. conclus. 1. Nam directum dominium rei in feudum datur in aere penes eum, qui rem dedit, ergo quando vite dominium ad eum reuertitur, directum cum vili consolidatur, quemadmodum ususfructus cum proprietate, cum ad proprium dominium redit. Instit. de usufructu. §. Cum autem finitus fuerit Balsam igitur est, quod dixit Henric. Hallia in tract. de Contractibus, par. 1. cap. 38. & 39. ut refert Gab. loco citato, hoc non esse ex vi, & natura feudi, sed quia Ecclesia ab initio rem dedit in feudum, sub ea conditione quæ tunc habuit is, qui feudum suscepit.

Ex his inferitur, eum, qui rem aliquam feudi nomine, & iure habet, esse interim immunem, ac liberum ab onere, & obligatione, quæ erat domino feudi obstrictus: deinde, hoc ius locum etiam habere in quolibet laico, qui alteri rem suam dedit in feudum. Sed quid, si vellet is, qui feudum suscepit Ecclesię inferuire, ut fructus in fortem computentur? Glossa cap. de feudis respondet, eum audiendum non esse. At Panorm. ibid. ait consensu domini expresso, vel tacito id posse feudatarium consequi & habere.

Quæres, quid dicendum sit, quando res in feudum data, melior facta sit diligentia, & opera eius, qui accepit, vtrum fructus ex ea parte sibi debeantur? Respondeo cum Gab. & Soto, debent, quia sunt fructus, qui respondent curæ, industria, & operæ feudatarii.

Quid si aliquis rem in feudum habet pretio emptam, non donatam? Respondeo cum Ang. & Silu. tunc fructus feudi oppignerati, illi esse reddendos: quia feudatarius rem pretio comparauit, & proinde fecit suam.

Sed quæres, idem ne ius est de re, cuius quis ususfructum habet, & simile similiter de re iure emphyteotico ac-

cepta? Respondent Hostien. & Ioan. Andr. cap. de studiis, non esse idem iuris, aut saltem dubium esse, ac prouide declaracione Summi Pontificis indigere, quia licet plus oneris suscipit, & sustinet emphyteota, vel fructuarius, quæ feudatarius. At Ang. & Silu. idem iuris esse affirmant, & hęc sententia videtur magis esse probanda.

Tertia causa, ex qua fructus pignoris restitui non debent, est hæc, quando nempe pignus censetur in bonis eius cui datur. v. g. vi, vel furto, clamue est liber tibi sublat, vel equus, quem fur vendidit, vel donauit alteri, & ille postea tibi pignori dedit pro pecunia, quam mutuam à te accepit, nullo iure cogens restituere fructus ex eo perceptos, quia ex te tua receperit, cap. de vsur. Eadem ratio est in commodato, vel deposito, vel puta, quando res tua fuerit tibi primo commodata, vel apud te deposita, quia tua res illa esse minime credebat: tunc enim fructus ex ea perceptos facis tuos.

De pactis, quæ in pignoribus apponi solent.

CAPVT X.

EX T A T in lib. 8. Codicis tit. ordine 35. de Pactis pignorum. Et de lege commissoria in pignoribus residerenda. Est igitur in primis dubie questio, quæ pacta in pignoribus prohibeantur: de qua re Innoc. Hostien. Ioan. Andr. Panorm. Anton. Anchar. & alii in cap. Significante, de pigno. Bart. in l. 1. Et vlt. C. de pactis pigno. S. Antonio, par. 2. tit. 1. cap. 7. §. 26. Ang. in verb. pactum, nu. 18. Tab. eod. verb. q. 11. Roell. vsus. Inuelt in Rosa aurea, casu 28. Et in verb. Pactum q. 1. 4. Nauari in Man. cap. 17. nu. 204. Co. var. lib. 3. varia. resol. cap. 2. nu. 7. Io. Bapt. Lupus de vsuris committ. 2. prefat. num. 13. Et seqq.

Prohibentur itaque in pignoribus omne pactum turpe, vel, quod iure naturali, diuino: vel humano damnatum est. Vnde inter pacta, quæ in pignoribus apponi nequeunt, est pactum legis commissoriae, quando creditor cum debitore pacifcitur, ut si ad tempus constitutum, debitum non soluerit, non nisi satisfacere creditori, pignus cadat in ius, & dominium ipsius creditoris. Et dicitur pactum legis commissoriae, quia pignus cadit in commissum, debitum ad diem, præstitum non soluto. Et est in modum commissoriae emphyteoticorum, & publicanorum, quarum meminit lex 2. C. de iure emphyteotico, l. 1. Commissoria ff. de publicanis, & veditigali. Insuper est iustit eius, quod in venditione, & emptione consueuerunt aliqui apponere. Exempli gratia. Vendit Titius Caio fundum, data, & accepta fidei de pretio sibi solvendi ea conditione, ut si Caius defignato tempore soluerit, fundus sit non emptus, aut pro non vendito habeatur, quod pacti genus in venditione, & emptione est iure civili approbatum. At verò idem pactum legis commissoriae in pignoribus, vtroque iure Civili, & Canonico damnatur. l. vlt. C. de pactis pignorum, Et cap. Significante, de pignoribus.

Sed cur in emptione (ut patet ex tit. ff. de lege commissoria) permittitur hoc pactum, in pignoribus non item? Respondent Ioan. Andr. & Panorm. in cap. Significante & Glossa in l. 2. Et vlt. C. de pactis pigno. quia venditor emptori iniuria, vel damno non afficit, si rem suam emptori vendat ea lege, ut si pretium tempore præstituto non soluerit, pro non empta habeatur, & ad ipsum redeat. Ceterum pignus solet esse maioris estimationis, & pretii, quam sit debitum. Ergo pactum, ut pignus fiat creditoris pro debito est cum damno debitoris: cogitur enim plus soluere, quam debet, & minoris vendere rem suam, ac ideo meo iudicio, tale pactum, in pignoribus est etiam diuino, & naturali iure damnatum.

Sed quibus verbis contrahitur pactum legis commissoriae in pignoribus? Respondeo contrahi verbis directo, aut indirecto significantibus, ut pignus transeat in ius, & domi-

nium creditoris. Primo modo sic: Do tibi pignus ea conditione, vt nisi debitum soluum ad tempus statutum, hoc idem pignus sit tuum, vel pro tibi vendido habeas, vel habeas, vt emptum.

Secundo modo sic, Do tibi librum loco pignoris, ea lege, & pacto, vt si præfixo tempore non tibi satisfeceris, de eo statuas, vt volueris, vel ego amplius recipere non possim.

Tertio modo, ita videlicet: Do tibi fundum loco pignoris, quod si non soluero, quod debeo, habebis eum nomine: & iure feudi. Ita Ioan. Andr. & Silue. *in slem in locis, quos nos supra retulimus.*

Sed dubium illud habet quæstionem, An pactum legis commissio in pignoribus, sit non solum iure Ciuili, & Canonico prohibendum, sed etiam naturali, & diuino iure damnatum tanquam vsurarium, & iniquum per se. Iuris Ciuili, & Canonici interpretes videntur inuenerunt, solum esse iure ciuili, & canonico prohibitum, eo quod habeat speciem & figuram vsuræ, non quod sit vsurarium per se, & natura sua. Ita Silue. *loco citato.* At Couar. & Ioan. Bapt. Lupus existimant esse iure naturali damnatum, eo quod sit absolute & simpliciter vsurarium.

Mea sententia hæc est: Pactum, de quo quæritur, potest dupliciter in pignoribus apponi. Aut enim apponitur tanquam, ob penam debitoris, qui præfixo tempore creditor non satisfecerit, aut simpliciter, vt creditor sibi pignus lucreret. Si primum, tunc non est pactum vsurarium per se, aut naturali iure damnatum, quia ob penam debitoris creditor potest lucrû ex mutuo acquirere, non enim acquirit vi, & ratione mutui, sed vt penam debitoris. Potest ita debitor, qui mutuum accepit, se sponte sua credito obligare ad penam soluendam, si statuto tempore mutuum non soluero. Sed tunc debitor secundum conscientiam penam non debet, nisi moram, & culpam contraxerit. Hoc est, non debet, si reuera soluendo non fuerit: pena enim non debetur, nisi culpa præcedat: at si potuit soluere, & non soluit, tunc penam debet.

Quare pactum iniquum est, si intelligatur debitorem in omni euentu penam soluturû, euam si nullam moram, aut culpam suscepit. Si verò pactum apponatur non in penam debitoris, sed absolute, & simpliciter, vt creditor sibi pignus acquirat, tunc ex parte creditoris, non debitoris, vsurarium est, & iniquum pactum per se, & naturali iure damnatum. Vsurarium quidem, quia pignus est maioris æstimationis, & pretii, quam debitum: ergo creditor cum ex pacto pignus faciat suum, ex mutuo lucrûm exigit, & accipit. Finis debitoris, pecuniam mutuum à creditore datam, esse mille aureos, & pignus valere mille, & quinquaginta aureos, lucrabitur ex mutuo creditor quinquaginta aureos: est etiam iniquum per se tale pactum, quia creditor pignus emit minoris, quam valet. Hinc etiam est, quod Couar. & Io. Bapt. Lupus dixerunt, eiusmodi pactum esse iniquum per se, & vsurariû, & iure naturali damnatû: at communis opinio doctorum, cum dicit, tale pactum solum est prohibitum iure Ciuili, & Canonico, intelligit pactum, vt apponitur tanquam pena debitoris, ac ita vera est sententia. Nam leges & Canones videntur tale pactum apponi in fraudem legis, & quia vsuræ, & iniquitatis nonnullam speciem habet, & quia satis sit, liberum esse creditori, contra debitorem in iudicio agere, si moram, & culpam in soluendo debitor traxerit. Non permittunt leges, vt ab initio talis pena ex pacto constituatur.

Atque ex his intelligitur id, quod Angelus *in verb. Iuramentum. n. num. 23.* & Siluester *eod. verb. quæst. 16.* tradiderunt, pactum legis commissio in pignoribus solum esse contra legem ciuilem, non naturalem, & ided obligate iuramentum ad illud seruandum, quoties iuramentum confirmans, quia iurando, & soluendo, quod iurauit, turpiter non facit, & propterea sine peccato potest iuramentum implere.

Ego verò existimo, tale pactum, quando in penam debitoris apponitur, solum cum ciuili, non cum naturali iure

Instit. Moral. 3. Par.

re pugnare. At si oppositum sit simpliciter, vt creditor pignus sibi acquirat, nisi debitor tempore, quo debebat, soluerit, arbitror esse ex parte creditoris vsurarium, & iniquum, & naturali iure damnatum, ita vt creditor restituere debeat, quicquid præter debitum ex pignore accepit, siue id, quod pignus vltra debitum valet. Sed nihilominus, quia debitor, cum pactum huiusmodi iuramentum confirmat, peccatum non facit, & absque peccato potest promissum exoluere, debet, si iurauit, pactum seruare, quod promissum sicut is, qui promissum, & iurauit se soluturum vsuras, aut qui iurauit latroni metu mortis se ei daturum centum aureos, cogitur iuramentum seruare, quia absque peccato potest illud implere. *cap. Debitores. de iur. iurand.*

At verò licitum est pactum hoc modo: Do tibi fundum pignori ea pacto, vt si debito tempore non soluero, habeas tanquam emptum, vel tanquam tuum iusto pretio, siue tanti, quanti tunc arbitrio boni viri, id est, iudicis arbitrari æstimabitur: *l. Si fundus. ff. de pignorib.* Ita Innocen. Hostien. Ioannes Andreas, Panorm. Ang. & Siluester. ac Couar. *loco iam citato.*

Non est item pactum prohibitum hisce verbis conceptum: nisi tibi soluero tuo tempore, promitto me tibi pignus daturum in solutum. *Gloss. in l. in verb. Pertinetur. C. de pactis inter empt. & vendit. Bart. & Salic. in l. C. de pactis pignorum.* Hoc intelligitur, quando debitor sua sponte promittit: nam si creditor mutuum dat eo pacto, vt debitor id promittat, vsurarium est pactum, quia creditor obligat sibi debitorem ad aliquid dandum, vel faciendum præter mutuum.

Insuper licitum est pactum, si fiat cum fideiussore, non autem cum creditore. Exemplum sit: Debeo Titio centum, Caius est fideiussor pro me, possum cum Caio pacisci, habeas fundum meum loco pignoris, vt si tu, pro me non soluente debitum, Titio satisfeceris, habeas pro tuo. *l. ult. ff. de contr. empt. Ioan. Andr. in cap. Significante. Bart. Paul. Bald. Salic. & Cynus. l. C. de pactis pigno. Siluester. & Ang. quibus in locis diximus, sed & communis opinio, teste Ioan. Bapt. Lupo de reser. comment. 2. Præfat. num. 17.* Ita tamen, vt fideiussor habeat pignus tanquam emptum iusto pretio, alioquin enim iniquum esset pactum, vt videlicet habeat minoris, quam valeat. Sic Couar. *in eo loco, quem supra notauimus.*

Præterea permittitur pactum legis commissio, quando ex intervallo temporis, apponitur. *l. Quamuis ff. de solutioni. & l. Titius, de pignorat. act. & Bart. & Cynus ibid.* Ioan. Andr. & Panorm. *in cap. Significante, de pignoribus.* Angel. & Siluester. *locis allatis.* & communis opinio, vt ait, Io. Bapt. Lupo *in loco, ubi diximus, nu. 13.* At intelligitur ea conditio, vt sibi capiat pignus tanquam emptum tanti, quanti pignus æstimatur. Secus enim, cum iure naturali pugnat. Couar. *eod. in loco.* Intelligitur etiam, quando pactum solum apponitur in penam debitoris, non simpliciter, vt creditor pignus acquirat.

Sed, quid si debitor (creditor dixerit: Nisi ego soluero tuo tempore, habeas pignus in solutum? Ioan. Andr. *in cap. Significante.* & Bart. *in l. Quamuis ff. de pignorat. act.* negant pactum valere, quia perinde est, ac si debitor dixisset, habeas pro tuo. Panorm. tamen *in cap. Significante,* affirmat pactum esse permissum, quia non paciscitur debitor cum creditore, vt pignus habeat pro suo, sed vt habeat in solutum, hoc est, in partem solutionis, vel vt habeat tanquam emptum iusto pretio. At verior est hæc sententia, quia eorû verborum sensus non est, vt creditor pignus habeat loco debiti, aut pro solutione debiti, sed in partem solutionis. Nam datio in solutum, nullum in se vitium habet, & fieri potest. *l. Eleganter. ff. de pignorat. act. & l. Si prædium. Authen. Hoc si debitor. C. de solutioni. Couar. loco citato.*

Quæres, an valeat pactum, quod debitor suo iure credit, hoc est, renuntiat beneficio legis, prohibentis tale pactum in pignoribus. Respondeo cum Ioan. Andrea minime, quia tale pactum lex vetuit non solum gratia debitoris, sed etiam in odium, & penam creditoris: & quia est

pañum vñre speciem, & figuram habens, etiam in pecuniam debitoris apponatur.

Quæres itidem, valeat ne pactum, quo debitor promittit se pecuniam soluturum, si pignus repetat, vel redimat? Respondet deo eodem Ioan. Andr. minime eiusmodi pactum valere, utpote in fraudem legis factum. Sed quid si tale pactum iure iurando confirmetur, subsistet ne illud, ac valebit? Fuere qui dicerent valere, ob id quod iusiurandum confirmat contractus, qui sunt contra leges, & bonos mores civiles. Ita Feder. eus in *conf. l. 40.* Sed dicendum videtur, non confirmare, nec vim, & iocum habere, quia pactum est naturalis, ac diuina lege damnatum, non tantum civilis, & Imperatoria: ergo si iusiurando confirmetur, non firmitur, & firmum, iuxta id, quod habetur in cap. *Quamuis pactum de iure iuran. in Sexto.* Ita Innocen. Ioan. Andr. & Panor. in cap. *Significante, de pignor.* & Bartol. Albertic. Ang. & alii, quos citant, & sequitur Neguliant. *tracta. de pignor. par. 4. principali. num. 2. Appliat. 3.* & Ioan. Bapt. Lupus de *usur. commen. 2. in Prefat. nu. 14.* Nam iusiurandum confirmat contractus, qui sunt solum lege civilis, & Imperatoria prohibiti, non eos, qui sunt iure naturali damnati. At, vt dixi superius, tale pactum est usurarium, & iniuriam, vel saltem vñre speciem, & figuram habens. Nihilominus tamen debitor seruare iusiurandum debet, nisi superioris legitima auctoritate illud relaxatum euerit, quia ex parte ipsius pactum turpe non est, & licite seruare potest. Glossa in cap. *Cum contingat de iusiuran.* Ang. & Silueit. in *loco supra citato.*

Quæres insuper, An vi consuetudinis valeat tale pactum, de quo loquitur Bald. in *l. Consuetudinis C. Quis sit longa consuetudo,* negat valere, quem etiam sequitur Ioan. Baptista Lupus de *usur. commen. 2. Prefat. num. 15.* Hoc autem ideo sentit Baldus, quia putat tale pactum esse contra bonos mores, & iure naturali prohibitum. Et reuera ita dicendum est, si pactum simpliciter intelligatur, vt pignus sit simpliciter creditoris tanquam lucrum ex mutuo, & non loco pœnæ, propter debitum non solutum tempore constituto, vt pignus, quod est maioris æstimationis, & pretii, quam debitum, eo ipso fiat creditoris, nisi ei debitor satisfecerit. Inquam enim est, vt creditor pignus sibi acquirat minoris emptum, quam valeat. At si pactum intelligatur, vt creditor sibi redimat, tanquam emptum tanti, quanti æstimatur, tunc pactum non est iure naturali prohibitum: & induci potest, vt valeat. Nam, vt superius annotaui, si inter creditorem, & debitorem expresse conuenient, vt pignus sit creditoris, tanquam emptum iusto pretio, pactum valet etiam iure civili.

Verum id in dubio esse potest, subsistet ne, & valeat pactum. Nisi debitor præiurito, & debito tempore soluerit, res quædam ipsius debitoris, quæ pignori data non fuerit, cedat in dominium creditoris pro debito? Baldus, Bart. Aluarez, & Tirac. vt testantur Couar. & Ioan. Baptista Lupus *loco citatis* affirmant, tale pactum valere, quia non est pactum de pignore, sed de alia re. At Curtius Iunior, Couar. & Ioan. Bapt. Lupus negant pactum consistere: quia iuratum est, vt creditor sibi acquirat, vt emptum pignus, sive aliquid aliud debitoris minoris pretio æstimatum, quam valeat, nisi ita pactum intelligatur, vt pro empto habeat sibi aliquid aliud præter pignus, iusto pretio arbitrio boni viri æstimando.

Quæres, An licitum sit pactum, quo creditor obligat sibi debitorem ad vendendum pignus, vel aliquid aliud ipsius iusto pretio æstimandum arbitrio boni viri, hoc est, iudicis arbitrarij. Respondet eum Couarruola *loco præfato*: si creditor à debitore hanc obligationem petit, vt mutui, usurarium est pactum, quia continet lucrum ex mutuo: si verò petit, vt pœnam, ob debitum non solutum tempore præiurito, non est usurarium pactum, quamuis in fraudem legis esse videatur.

Quæres postremò, An hoc pactum firratum, & firmum causa dotis, vt puta focer, vel mulier promittit genero, vel marito, daturum se dotem in pecunia, & interim loco pi-

gnoris dat fundum ea lege, vt si ad certum tempus dotem pecuniam non soluerit, fundum sibi habeat loco dotis. Alexan. *conf. 178.* negat valere, sicut etiam Neguliant. *de pignorib. 4. parte principali. num. 8.* Et probant, quia tale pactum cum bonis moribus pugnat, & cum iure naturali, ergo etiam causa dotis nequit permitti. At Bald. in cap. *1. de fundo dato in vim legu. commissoria,* affirmat pactum subsistere, quem sequitur Guido Papa *decis. 6.* & Ioan. Bapt. Lupus *loco citato. n. 119.* Ang. & Silu. *loco supra allegato.* Et sanè, ita dicendum existimo, quia etiam si ab initio focer, aut mulier minorem dotem promiserit, & deinde pignori obligauerit, fundum pluri æstimatum, nullo damno, vel iniuria afficietur, si gener, sive maritus fundum sibi habeat dotis loco, quia focer potest plus sua sponte exorire, quàm promiserit, dummodo id faciat sciens, ac libens, non ignorantia, fraude, & dolo deceptus.

Adde, quod maritus dotem saluam, & integram tueri, & conseruare compellitur: secus est, quando quis dat mutuum pecuniam alteri pignore accepto: hoc enim cum sit maioris æstimationis, & pretii, non potest sibi creditor retinere tanquam suum pro debito: sibi enim pignus quàm debeatur, acquireret, ac sic vitium committeret.

Secundò quæritur, An valeat pactum, vt creditor propria auctoritate possit pignus occupare pro debito sibi iniusto? Ratio dubitandi est, quia hequetet tabeliones in contractu pignoris solent apponere hæc verba: Licet creditor sua auctoritate pignus occupare, possessionem apprehendere, & sibi retinere Bartolus, & Silueit. in *l. 3. C. de pignoribus,* videntur inuicere, in prædictis verbis pactum licitum contineri, quia non significatur, vt creditor pignus habeat tanquam suum, sed vt possideat nomine debitoris. Quod si verbum illud (vt occupet) significet (vt sibi iumat) benigne est interpretandum, videlicet, vt iumat tanquam emptum, iusto tamen pretio, tantidem nempe, quantum æstimatur.

Tertiò quæritur, An hoc pactum valeat. Ne liceat debitor pignus redimere, vel liberare ad triginta annos? Respondet deo minime, quia triginta annorum tempus longissimum censetur, & quasi perpetuum. Glossa in *l. 1. C. de pactu. pignorum.* Bald. Salic. Alexand. *lat. in l. Qui Romæ. ff. de verbor. obligat.*

Quartò quæritur, An eiusmodi pactum consistat puta. Ne liceat debitori pignus vendere? Respondet deo, minime. *l. Si creditor. §. vlt. ff. de pigno.* Sed quid, si pactum sit ne sus in creditor pignus vendat? Respondet deo, pactum consistere, vt consequenti dicemus: & valet pactum, ne creditor possit pignus vendere, nisi denuntiatione facta debitori. Bart. in *l. 4. ff. de pigno. actio.* & Glossa in *l. Si creditor. §. vlt. ff. de distract. pigno.*

Quintò quæritur, Ex qua culpa creditor teneatur in contractu pignoris? Respondet deo, tenet ex dolo, & lata, & leui culpa, non tamen ex casu fortuito, vel culpa leuissima.

Primum patet ex *l. Si cum venderet. §. Vlt. ff. de pignorat. act. l. 1. Præterea ff. de bonis auct. ritia. iudicis possiden.* Id etiam ratione probatur, quia pignus est contractus, qui fit gratia vtriusque, creditoris, & debitoris.

Secundum, patet etiam ratione, quia cum pignus sit etiam causa debitoris, æquum non est, vt creditor leuissima ex culpa teneatur.

Si roges, An aliquando ex casu etiam fortuito obligetur? Respondet deo obligari illum in duobus casibus. Primo, si casus acciderit post moram, & culpam in restituendo pignore debiti. Secundò, si actum est expresse, ab initio inter ipsos, vt creditor etiam ex casu fortuito obstringeretur creditor.

* *

* *